ORDO SERVANDVS
IN
PROCESSIONIBVS
FACIENDIS
IN DIEBVS
S. MARCI EVANGELISTÆ
ET
ROGATIONVM.





ROMÆ;

Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
M.DC.LXXXVII.

Discedat Clerus ab Ecclesia S. Marci, iturus ad Ecclesiam Apostolorum Principis S. Petri in Vaticano, cantando Litanias, quæ habentur infra, & vbi semel absolutæ fuerint, toties à capite repetantur, quousque peruentum sit, quò perueniendum est, & cum peruentum fuerit in Pontem Sancti Angeli, dicatur per Cantores.

Antiph. Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, & Potestates, Virtutes cælorum, laudate Dominum de cælis, Alleluia, Alleluia.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Alleluia.

℞. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo, Alleluia.

Episcopus stans sine mitra, dicit, Oremus.



DEVS, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensas: concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cælo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

Deinde reassumantur Litaniæ, vt infra, & procedatur vsque ad Ecclesiam præfatam Sancti Petri.

LITANIÆ.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, ora.

Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti Beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Ioannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli, & Euangelistæ, orate pro nobis.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes sancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
SS. Fabiane, & Sebastiane, orate pro nobis.
SS. Ioannes, & Paule, orate.
SS. Cosma, & Damiane, orate pro nobis.
Sancti Geruasi, & Protasi, orate pro nobis.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Siluester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sencte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices, & Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Sancte Ludouice, ora.
Omnes Sancti Sacerdotes, & Leuitæ, orate.

Omnes

Omnes sancti Monachi, & Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines, & Viduæ, orate.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo. libera.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
Ab imminentibus periculis, libera nos Domine.
A peste, fame, & bello, lib.
A subitanea, & improuisa morte, libera.
Ab insidijs diaboli, libera
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, lib.
A fulgure, & tempestate, libera nos Domine.

A morte perpetua, libera
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.
Per aduentum tuum, libera.
Per natiuitatem tuam, libera.
Per baptismum, & sanctum ieiunium tuum, libera.
Per Crucem, & Passionem tuam, libera.
Per mortem, & sepulturam tuam, libera.
Per sanctam Resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem Ascensionem tuam, libera.
Per aduentum Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die Iudicij, libera.
Peccatores, te rog. audi nos.
Vt nobis parcas, te rog.
Vt nobis indulgeas, te rog.
Vt ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rog.
Vt Ecclesiam tuam sanctam regere, & conseruare digneris, te rog.
Vt Domnum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris, te rog.
Vt Turcarum, & Hæreticorum cona-

conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, te rogamus audi nos.

Vt Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, te rog.

Vt cuncto populo Christiano pacem, & vnitatem largiri digneris, te rog.

Vt nosmetipsos in tuo sancto seruitio confortare, & conseruare digneris, te rog.

Vt mentes nostras ad cælestia desideria erigas, te rogamus audi nos.

Vt omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rog.

Vt animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias. te rogamus audi nos.

Vt fructus terræ dare, & conseruare digneris, te rogamus audi nos.

Vt omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rog.

Vt nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rog.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Kyrie eleison.

Christe eleison.

Kyrie eleison.

Ante Altare Sanctissimi Sacramenti in eadem Ecclesia, post vltimum Kyrie eleison Litaniarnm, Episcopus genuflexus sine mitra, dicit.

Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

Tum

DEvs in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Confundantur, & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorsum, & erubescant: qui volunt mihi mala.

Auertantur statim erubescentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, & pauper sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Episcopus adhuc genuflexus dicit Preces huiusmodi.

℣. Saluos fac seruos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro INNOCENTIO.

℟. Dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius.

℣. Ore-

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro Fratribus nostris absentibus.

℟. Saluos fac seruos tuos, Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Mox surgit Episcopus, & stans sine mitra, dicit.

Oremus.

DEVS, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue quæsumus, ita nos corporis, & sanguinis tui sacra mysteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter sentiamus.

DEVS, cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

Exau-

EXaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis; vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus, & pacem.

INeffabilem nobis Domine miſericordiam tuam clementer oſtende, vt ſimul nos, & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

DEvs, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur auerte.

OMnipotens ſempiterne Deus miſerere famulo tuo Pontifici noſtro INNOCENTIO, & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEvs, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: vt, & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

VRe igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine: vt tibi caſto corpore ſeruiamus, & mundo corde placeamus.

FIdelium Deus omnium conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam quam semper optauerunt, pijs supplicationibus consequantur.

ACtiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & operatio, à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

OMnipotens sempiterne Deus, qui viuorum dominaris simul, & mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide, & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum, iam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Episcopus intonat Hymnum. Te Deum laudamus. *Et facta genuflexione accipit mitram, & interim Cantores prosequuntur dictum Hymnum, & processio dirigitur ad Altare maius SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ante quod Episcopus deposita mitra, & facta reuerentia, stans, expectat finem dicti Hymni.*

Mox Cantores intonant. Antiph.

Petrus Apoſtolus, & Paulus Doctor Gentium, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine, Alleluia.

℣. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram, Alleluia.

℟. Memores erunt nominis tui Domine, Alleluia.

Tum Epiſcopus adhuc ſtans, dicit. Oremus.



EVS cuius dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur erexit, & Coapoſtolum eius Paulum tertiò naufragantem, de profundo pelagi liberauit: exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur Qui viuis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtea Cantores dicunt.

℣. Exaudiat nos omnipotens, & miſericors Dominus.

℟. Et cuſtodiat nos ſemper. Amen.

Præterea Epiſcopus accepta mitra aſcendit ad Altare, & non ſe vertens benedicens Populo, dicens.

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, & vſque in ſæculum.

℣. Adiutorium noſtrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cęlum, & terram.

Benedicat vos, &c. *Quibus factis, Epiſcopus facta reuerentia Altari, confert ſe ad Sacriſtiam, & ibi deponit veſtimenta Pontificalia, & reaſſumit veſtimenta ſua.*

In prima die Rogationum, videlicet die Lunæ ante Ascensionem Domini.

Clerus discedet ab Ecclesia S. Adriani in Foro Boario, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Maioris de Vrbe processionaliter iturus, cantando easdem Litanias, quæ superius habentur, & vbi semel absolutæ fuerint, toties à capite repetantur, prout in die S. Marci, vsquequo peruentum sit ad Ecclesiam S. Mariæ in Montibus, in qua ante Altare maius dicatur per Cantores.

℣. Gaude, & lætare Virgo Maria, Alleluia.
℟. Quia surrexit Dominus verè, Alleluia.

Tum Episcopus dicit. Oremus.



EVS, qui per Resurrectionem Filij tui Domini nostri IESV Christi mundum lætificare dignatus es: præsta quæsumus; vt per eius Genitricem Virginem MARIAM, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Deinde reassumantur Litaniæ, & procedatur vsque ad Ecclesiam Sanctæ Praxedis, in qua ante Altare maius dicatur per Cantores.

℣. Ora pro nobis Sancta Praxedes, Alleluia.
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi, Alleluia.

Episco-

Episcopus stans sine mitra dicit. Oremus.



Exaudi nos Deus salutaris noster, vt sicut Beatæ Praxedis Virginis tuæ commemorationem recolimus, ità piæ deuotionis erudiamur affectu. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde reassumantur Litaniæ, & procedatur vsque ad Ecclesiam præfatam Sanctæ Mariæ Maioris, in qua ante Altare Sanctissimi Sacramenti, post vltimum Kyrie eleison, *Episcopus dicit genuflexus,* Pater noster, &c. *cum reliquis Precibus, & Orationibus, quæ habentur in die S. Marci; Quibus omnibus expletis, ante Altare B. Virginis per Cantores intonatur, Antiph.*

Regina Cæli lætare Alleluia. Quia, quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deum, Alleluia.

℣. Gaude, & lætare, &c. *prout supra.*

Postea Cantores dicunt.

℣. Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus.
℟. Et custodiat nos semper. Amen.

Deinde Episcopus benedicit, prout habetur in processione S. Marci.

Peracta benedictione Episcopus intonat Hymnum, Te Deum laudamus, *& Cantores prosequuntur, & procedunt ad Altare maius cantantes dictum Hymnum cum Clero eiusdem Ecclesiæ.*

Et Hymno dicto, nihil dicitur, sed Episcopus facta reuerentia Altari, procedit ad Sacristiam ad deponenda indumenta Pontificalia, & reassumenda propria, prout supra in processione Sancti Marci.

In Secunda die Rogationum, videlicet die Martis ante Vigiliam Ascensionis.

Discedat Clerus ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Nouæ Congregationis Montis Olineti, iturus ad Ecclesiam Sancti Ioannis Lateranen. processionaliter cantando Litanias modo superius expresso,

quibus

quibus semel absolutis, toties à capite repetantur, vsquequo peruentum sit ad Ecclesiam S. Clementis, in qua ante Altare maius dicatur per Cantores.

℣. Ora pro nobis Sancte Clemens, Alleluia.

℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Alleluia.

Episcopus sine mitra dicit.

Oremus.



DEVS, qui nos annua Beati Clementis Martyris tui, atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius commemorationem colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde reassumantur Litaniæ, & procedatur vsque ad Ecclesiam Sancti Ioannis Lateranen. & ante Altare Sanctissimi Sacramenti, post vltimum Kyrie eleison *Litaniarum, Episcopus genuflexus sine mitra, dicit* Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo,

Tunc Cantores intonant Psalm.

Deus in adiutorium meum intende, *prout supra in alijs processionibus.*

Et eo finito, dicuntur preces cum Orationibus subsequentibus per Episcopum, modo expresso in processione S. Marci, & post.

Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Cantores intonant Antiph.

Saluator Mundi salua nos omnes huius aulæ Seruulos, & Præcursoris inclyti, Discipulique dilecti deuota memoria, vota nostra perducat in patriam, Alleluia.

℣. Saluos fac seruos tuos, Alleluia.

℟. Deus meus sperantes in te, Alleluia.

Tum

Tum Episcopus dicit Oremus.



Mnipotens sempiterne Deus, qui hanc sacratissimam Constantinianam Basilicam in tuo, & vtriusque IOANNIS nomine dedicatam, cunctarum Vrbis, & Orbis Ecclesiarum decorasti primatu; concede nobis famulis tuis, vt amborum meritis, & precibus, à nostris reatibus expiati, ad te Saluatorem nostrum peruenire valeamus. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Deinde Episcopus intonat Hymnum. Te Deum, *vt supra in Ecclesia Sancti Petri; & accedendo ad medium Magnæ Nauis, ante Tribunam, siue Pinnaculum, in quo capita Apostolorum asseruantur.*

Cantores intonant Antiphonam.

Gloriosi Principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati, Alleluia.

℣. Constitues eos Principes super omnem terram, Alleluia.

℟. Memores erunt nominis tui Domine, Alleluia.

Episcopus dicit. Oremus.

DEus cuius dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur erexit, & Coapostolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo pelagi liberauit: exaudi nos propitius, & concede, vt amborum meritis æternitatis gloriam consequamur. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Postea Cantores dicunt.

℣. Exaudiat nos omnipotens, & misericors Dominus.

℟. Et custodiat nos semper. Amen.

Deinde Episcopus benedicit modo superiùs expresso.

His expletis ostendunt Capita Apostolorum, quibus ostensis, Episcopus accipit mitram, & procedit ad Sacristiam ad deponendas vestes Pontificales, & reassumendas suas proprias.

In tertia die Mercurij, videlicet Vigilia Ascensionis Domini.

Clerus discedat ab Ecclesia Sancti Laurentij in Damaso, iturus ad Ecclesiam S. Petri, & processionaliter cantando Litanias, prout in die S. Marci, omnia fiunt prout in dicta die: in omnibus servata eadem forma.

LAVS DEO.

